



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ**

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium  
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

**Puente, Luis de la**

**Pragæ, 1672**

Caput 24. Quomodo ipsam Persona Spiritûs Sancti visitaverit alijs multis  
vicibus, ducendo illam in spiritu ad cælestem Curiam, eandémque ipsi  
ostendendo, nec non reliquas Personas, & exhibendo alios ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38580**

vidisti. Accesserunt ad me sancti Angeli, & dixerunt: Magnus Rex Majestatis venit ad inuisendam suam Sponsam. Cum audivissem nominari Sponsam, fui valde confusa, ac dixi: Per amorem DEI illos rogo, & obsecro, mei Domini, non loquantur taliter: Ego sum ancilla Domini, & sic me debent appellare. Responderunt: Soror, nobis non est loquendum, sicut tu vis, & nobis dicitis, sed sicut nobis Dominus injungit & præcipit. Durante isto colloquio, audivi quendam tumultum, ac si adveniret ingens aliqua multitudo, & oriebatur ex eo, quod veniret sacratissima Persona Spiritus sancti, cum magna majestate, & pompa, comitantibus ipsam plurimis Angelis: quâ adveniente, excitabatur ille strepitus. Quando pervenit ad meum cubiculum, intravit Divina Majestas cum eo comitatu, & perbenignè atque amanter me est alloquuta, dicendo: Anima, veni mecum, & quiesce in me, es enim afflicta. Statimque me possedit, abripiendo me potenter & suaviter, ac univit secum forti & potenti unione, atq; itâ unitam me duxit in spiritu ad cœlestem Patriam. Postquam eò pervenisset, dimisit me, dixitque sanctis Angelis: Accipite istam Animam, & circumducite ipsam per totam istam cœlestem

Patriam, ac ostendite illi, quæcunque in ea reperiuntur, & recreate ipsam. Circumdixerunt me per totam illam supernam Civitatem, monstraverunt mihi totam ipsius amplitudinem, ac thesauros Divinos, & gloriam Beatorum Spirituum, quasi in momento, juxta lumen, quod mihi DEUS dedit ad videndos illos thesauros, atque ad contemplandam gloriam, quâ fruebantur. Post hoc me reduxerunt ad locum, in quo erat Dominus, qui illis mandavit, ut me inducerent in regium ipsius Palatium. Ingressa sum in illud, ubi mihi fuerunt exhibiti thesauri, ac divitiæ illius cœlestis Domûs DEI, & diu sum juxta humanum mortalem captum contemplata ipsum DEUM, ac Divinum Dominum, & illius Divina attributa, ejus Bonitatem, Sapientiam, Potentiam, & Magnitudinem, atque ea, quæ non capit, neque capere potest ullus intellectus creatus. Ibi me diu detinui, perfruendo istis beatis bonis, cum magna admiratione. Reducta sum ad locum, in quo erat sacratissima Persona Spiritus sancti, qui se rursus mecum univit, uti prius, & sic unitam me reduxit ad meum angulum.



## CAPUT XXIV.

Quomodo ipsam Persona Spiritus Sancti visitaverit alijs multis vicibus, ducendo illam in spiritu ad cœlestem Curiam, eandemque ipsi ostendendo, nec non reliquas Personas, & exhibendo alios magnos favores.

### §. I.



*Intantum favorem, de quo in precedenti capite dictum est, secuta sunt frequentiores visitationes. Quâdam die (in Martio anni 1623.)*

*ait, animadverti in oratione, quod mihi DEUS esset concessurus aliquam extraordinariam gratiam, & audivi meos Dominos Angelos colloquentes*

ac dicentes: Magnus DEUS Majestatis venit ad suam Sponsam, disponamus nos. Aliquanto post audivi ingentem strepitum tympanorum, ac tubarum, & musicam, cœlestem omnibus absolutam numeris, ac auditu jucundam, vidique aperiri Cœlos, & omnem illam cœlestem Angelorum, ac animarum Beatarum Aulam descendendum ad terram, meum cubiculum versus, quasi se paulatim demitterent cum gravitate & autoritate. Angeli veniebant

Hh

splen-

splendidissimè, & elegantissimè ornati, alij armati lucidissimis armis, habentes in manibus lanceas; alij ferentes evaginos gladios: alij apparebant sapientissimi; alij clementissimi; alij ardentissimi amore DEI; uno verbo, omnes portabant quædam quasi insignia Divinorum attributorum, quæ relucebant, & ego videbam in DEO. Omnes sequebatur sacratissima Persona Spiritus Sancti, cum maxima Majestate. Et semper, quando me visitat, venit cum magno tumultu, ac suavi strepitu. Antequam ad me veniret Divina Majestas, mei Domini me crexerunt in pedes, & induerunt eleganti veste albâ, cujus manicæ erant cæruleæ, texeruntque pretioso pallio cæruleo. Advenit Dominus, & salutavit me quàm amantissimè, dicendo: Bene tibi sit Sponsa, & Anima mea. Ego adeo stupebam, videndo tantam magnificentiam, ut illam tantum fuerim contemplata, nihilque responderim. Divina quoque Majestas circumspexit assistentes sibi duos Angelos cum duobus calathis, in quibus erant multa pretiosa cimelia. Accessit ad me Dominus, ac tum vidi comparentem quasi quandam manum, quâ ipse Dominus imposuit torquem meo collo, & pectori pretiosissimum cimelium, nec non septem annulos manibus, coronam capiti, & in aures auriculis. Omnia sunt facta spiritualiter, cum magna gravitate, & autoritate, atque ad singula, quæ mihi imponebat, dicebat Divina Majestas verba latina, quæ ego non intelligebam, sed tantum audiebam. Stupebam spectando talia mysteria, & sancti Angeli recreabantur videntes id, quod in me DEUS operabatur, qui se mecum subito arctè univit, & sic unitam me duxit secum ad cœlestem Jerosolymam, ascendente simul totâ illâ cœlesti Aulâ, eodem modo, quo descenderat, & omnibus mirantibus ac stupentibus, dum viderent talia opera DEI. Postquam eo pervenissemus, ostendit mihi Dominus totam illam cœlestem Civitatem. Fruita sum pro meo captu Divinâ illâ Essentia, cum qua eram unita satis diu, & quia fueram sopita quodam somno spiritualissimo, quando fui expergefata, seu

redij ad me ex raptu, inveni me in meo angulo.

## §. II.

**A**Lio proximo die (in eodem Martio anni 1623.) Sanctus Angelus Custos videns me adeo afflictam à meis continuis doloribus, dixit mihi: Anima mea, quid facis? quid habes? Noveris, Dominum ad te venire, ac adferre multa tibi donanda. Ego respondi: Angele sancte, Dominus se ipsum mihi donavit, quid mihi potest amplius dare? Ità est, sicut ais, dixit Angelus, sed DEUS se donat multifariam, multisque modis. Post longum deinde spatium temporis vidi patefieri Cœlos, & omnem illam cœlestem Aulam descendente ad terram, venientemque Dominum cum comitatu plurimorum Angelorum, qui erant nitidissimè exornati modis diversis, ab ijs, quibus ipsos exornatos fuisse dixi aliàs. Et Divina Majestas progrediebatur in specie lucidissimi Solis, qui habebat quasi duas facies, & emittebat Divinos radios, alios quidem directos, alios autem laterales, in medio verò veniebat spiritualissima Imago sacratissimæ Personæ Spiritus Sancti. Radijs lateralibus feriebat adjacentes Angelos, irradiando eorum pectora, & ibi illis imprimendo suam Divinam Essentiam, ac Divina attributa, speciatim verò alijs insigne suæ misericordiæ, alijs Clementiæ, Benignitatis, Bonitatis, Amoris, Potentiæ, Pulchritudinis, Sapientiæ, & Justitiæ. Cum hac pompa mihi appropinquabat Sol iste Divinus, constitit; duabus circiter vel tribus ulnis à loco, in quo ego eram, & inde radijs directis, quos vibrabat, attigit meam animam, posseditque me fortiter & suaviter. Illi autem sancti Angeli, qui habebant insignia Divinorum attributorum, veniebant singillatim, & communicabant mihi eundem Dominum, imprimebantque meæ animæ insigne, quod unusquisque habebat, Divini Attributi. Ultimus adfuit Angelus, qui gerebat insigne Justitiæ, duos nimirum evaginos gladios, & postquam accessisset ad me, collocavit decussatos gladios humi, dicendo: Anima, effectus Divinæ Justitiæ non habet

bet in te locum; sed communicavit mihi ipsummet DEUM Iustitię, Divinam virtutem, ejusdemque attributum. Dum ego me viderem adeo plenam ipso DEO, ac Divinis illius attributis, mea anima summe præterque morem admirabatur bonitatem hujus magni DEI, ac Domini, & cum hac admiratione, dixi: Domine, ac DEUS mi, quid facit tua Majestas in me? & addidi, quod sentiebam, vilipendendo me ipsam, meamque exiguitatem. Dominus autem mihi respondit: Ad capiendum tam sanctum, quam est DEUS, exiguus erat locus præsepe: hoc tibi sufficit. Deinde me Dominus attraxit ad se per illos Divinos radios, quibus me introduxit in se ipsum, & Divinam suam Essentiam, ubi me perdi, ut me non agnoscerem. Hoc modo me duxit Dominus secum ad caelestem Jerosolymam, paulatim ascendendo cum toto illo comitatu. Postquam pervenissim ad Cælum, iterum me reperi in Divinitate, fruebárque meo DEO, ac Domino, & subito me rursu perdi, ignorando me, atque ita perditam, me Dominus reduxit ad meum angulú: quia quando mihi fui reddita, inveni me in illo. Reduci mihi dixit meus sanctus Angelus Custos: Anima, unde venis? Apprehenditque meam manum dextram, & dixit: Anima, quid hic fers? qualia signa sunt ista? aspice tuas manus, pedes, latus, & caput. Aspexi, sicut mihi à Domino Angelo dictu fuerat, & quando vidi vulnera tam recentia, quæ gerebam in manibus, pedibus, la-

tere, & capite, obstupui vehementer, & consternata extimui, fuique quasi turbata, cogitans esse vulnera exteriora, ac dixi: Sancte Angele, quid est hoc, quod habeo? & quando me Dominus taliter signavit? Sanctus Angelus mihi respondit: Noli turbari anima, non sunt vulnera exteriora, sed interna. Quando DEUS te irradiavit Divinis radijs sui luminis ac splendoris, tunc illis tetigit has partes, & renovavit tua vulnera interna antiqua, quæ habes: hoc est Soror. Ego vero respondi: Et quomodo id potuit fieri? Angelus dixit: Et quomodo potest ignis Purgatorij tangere, ac adurere animas? Huic dicto acquievi.

## §. III.

**A**Lià vice, adverti venientem ad me sacratissimam Personam Spiritus sancti, quasi sub pretiosissima umbella, plena intrinsicis stellis, & supernè aperta, à qua fui undèquaque cooperta, & inveni me intra illam ac ipsum DEUM, qui erat intus, meamque animam totam potenter possedit, & me duxit ad caelestem Jerosolymam: vidi in imagine alias duas Divinas Personas, quæ se conjunxerunt, nostro modo loquendi, cum Spiritu sancto, & omnes tres me secum univerunt, constitueruntque in Cælo, ubi diu mansi, perfruens illis Divinis mysterijs. *Alias multas hoc tempore habuit visiones, quas omitto, eò quod sint istis similes.*



Hh 2

CAPUT